

rum Choragis ipsi in morbo ac morte presentibus quando potius  
verbo, post nutu ac motu astipulatus est.

Eandem & de vobis spem contestemini Cives Academici  
in funerando Christiani nostri corpore, siquidem eo significatis, ut  
Augustinus lib. de cura agenda pro mort: monet, ad Dei pro-  
videntiam, cui extrema pietatis placent officia, corpora quoque mor-  
tuorum pertinere propter fidem resurrectionis astruendam: hora  
fluentis diei XII. ad ades ejus maternas accedite, funus ducite, fu-  
nerantes reducite, idque non nostra saltem autoritati, sed professo-  
ria dignitati, sed commilitia vestra honestati, sed CHRISTIA-  
NI nominis sanctitati date, causa sunt haec omni excusatione  
majores: sed nec infructuosa erit meditatio: duo esse com-  
munissima CHRISTIANIS: mortem & a morte spem, vita ni-  
mirum melioris: miseris unum solatium est spes mortis: alterum  
spes restitutionis post mortem: at miserrimus ille est, in cujus morte  
spes vita commoritur. Christianorum ultimum est suspirium: Et si  
interfecerit me Dominus, nihilominus in ip-  
sum sperabo. Vivite bene atque  
valete.

T. M.



24711  
Rector

ACADEMIÆ FRANCOFUR-  
TANÆ  
VVOLGANGUS

CRELLIUS,

SS. Theologiæ Doctor & Professor P.

Ad funus

quod

Pio & honesto juveni

ELIÆ ROBERO

FRANCOFURTANO

MARCHICO

In militia professione mortuo

Præsigno suo charissimo

Dn. D. MATTHIAS POLENIUS,

SERENISSIMI ELECTORIS BRAN-

DEBURGICI CONSILIARIUS, ET

Pandectarum Professor P.

A. d. X. Kal. Sextilis

honorifice adparat, co-

beneficendum.

Omnes Reipubl. literariæ Ci-

ves amanter invitat.

Anno Christi

Cl. 13. CXX. 1620

LITERIS HARTMANNIANIS,







**H**ONs ingeniorū,  
& virtutis omnis pater Ho-  
merus, qui magnitudine ope-  
rum, & fulgore carminum solus  
appellari poeta meruit, in octavo  
& decimo Trojani belli libro, in-  
clyto illi Jovis fabro Vulcano, u-  
nam Gratiarum cohabitasse fingit, eidemq; in officinā ad-  
sedisse: Quo figmento, *ὡς ἐν αἰνίγματι*, ut Phornutus de na-  
turā Deorum notavit, innuere testè voluit: artium me-  
chanicarum opera nec suā elegantia carere (sicut vetustas  
dixit, in Callimachi operib. manus suas abluisse Charites)  
& utilia, communiq; vitæ jucunda esse: nec sine opificibus  
in repub. vivi posse: quod disertis etiā verbis, inter sacros  
scriptores, Siracides; inter profanos Aristoteles non uno  
in loco adfirmarunt. Priscis quidem temporib. *ἄνευ χειρῶν*  
seu artes officinæ magnā laborabant invidia: & inter igno-  
biliore civis, imò inter publicos servos censebantur opi-  
fices sellularii: sicut de Ægyptiis, Scythis, Persis, Lydis, &  
Thracibus refert, Herodotus: quos æmulati Lycurgus &  
Romulus, ille Lacedæmonios, iste Romanos ab opificiis  
omnibus procul seduxerunt. Placet illud institutum Xe-  
nophonti, cujus in dicendo suavitatem tantopere admi-  
rata est antiquitas: ut ipsum Atticam Musam indigitarit,  
& finxisse ipsius sermones Gratiarum judicavit; qui ratio-  
nē subjicit: quod hujusmodi artes nō modo corpora eorum,  
qui eas discunt faciuntq; labefactent: dum ipsos desiderare,  
& in umbrā vivere, alicubi apud ignem quoq; totos dies  
versari cogant: sed etiam corporibus effœminatis animos  
debilitent: & usui amicorum ac patriæ defensionis incom-  
mo-

426445



modos reddant. Unde lege olim cautum erat, ne quis opi-  
ficum statuum in Olympiis habere posset: & Thebis ad ma-  
gistratus non prius mercatores & artifices admittebatur:  
quam decem annis à sordido officinæ quæstu abstinuissent.  
Nostrā autem tempestate, quemadmodum & olim apud  
Corinthios, tantā invidia nō laborant, sed majore in pre-  
cio sunt, qui opificia tractant: nec illis ad honores aditus  
omnino est interclusus. idq; non injuriā. Sunt enim & ipsi  
non minus liberi homines, quam qui arma tractant, aliive:  
& maxima reipub. onera portant: & civitatem auctiorem  
& populosiorē faciunt: nec minus de repub. mereri suo  
loco student, & civitatibus necessarii sunt, quam alii cives:  
quippe non ex duobus medicis, sed ex medico & agricolā  
civitas constat: nec doctrinā solum & defensionē opus est:  
sed etiam victu & cultu: quem in politiā curant tam ii, qui  
à politiore elegantia alieni agricultioni se dederunt,  
quam qui in opificinā laboriosam vitam agunt. Quare &  
Romæ olim ingenui homines mechanicas discerant artes:  
ut Ulpiani docet responsum de puero sutrinam discente,  
& formā calcei à magistro percusso, & eluscato: & opifices  
inter cives Romanos fuisse, postremisq; temporibus non  
solum suffragii jus, sed etiam honores amplissimos habu-  
isse, gravissimus rei Romanæ scriptor, lacteo eloquentiæ  
fonte manans, exsertim memoriæ prodidit. Quod si quis  
eos aut cum Xenophonte non magnificandos esse putet:  
quod assiduo labore urgeantur, & umbratilem ac sedenta-  
riam vitam sequantur: aut cum Aristotele, quod animi ex-  
cellsi vim ac robur mercede conducti penitus amittant, ab  
honoribus arcendos: quid de arte imperatoriā faciet, quā  
nihil laboriosius; aut de judiciariā, qua nihil magis um-  
bratile ac sedentarium? cum utraq; tamen in omni civita-  
te nihil clarius ac nobiliter esse possit: quid deniq; de mili-  
tibus,



trous, quorum nullus pœne hodie est, qui non stipendia mereat: omnibus tamen honoris & dignitatis portæ patêt. Proinde ut pedes in corpore humano suum habêt locum; ita suum etiam in repub. obtineant *χρησιμότης & χρησιμότης*: nec quicquam, aut à suâ dignitate alienum, aut ordini suo indecorum facere credantur inter doctissimos viros illi; qui non ita ad officinam & tabernam nauseant: quin filios in eam suos aliquando mictant, quos ob hebetudinem ingenii ad literarum studia minus aptos esse, aut propriâ voluntate & suo quodam consilio ab iisdem abhorre animadvertant. Quid namq; aliud est industriâ omnis expertem ingenii ad literas applicare, quam imbrem in cribro portare? quid aliud reluctantes ad studia cogere, quam invitos canes venatum ducere? aut Ixionem cum Nebulâ, Junonis imaginem præ se ferente, conjungere? quo ex cõtubernio monstrosum Centauri partum prodiiisse, poëtæ fabulantur. Quemadmodum enim ex quolibet ligno, ut verus habet verbum, Mercurius nõ fingitur: ita nec è quolibet, ut multi è vulgo suspicantur, *πῶς ὄντι περὶ ἀνδρῶν* e-ducari potest: & cum studium discendi voluntate constet, quæ cogi non potest, male plerunq; respondent coacta ingenia. Hoc ipsum animo sedit *Elia Roberi*, juvenis optimi & cultissimi parentibus honoratissimis: qui, simul filium hunc suum per ingenium aliasq; causas literis minus idoneum esse intelligerent, ne nihil agendo malè agere discerret, aliquid agere voluerunt: & ad magistrum in officinam deduxerunt: atq; in arte *διφθεγγιστῶν*, cujus nec Deum ipsum puduit, cum pellibus agnitis primorum parentum nudiditatem post tristissimum eorundem lapsum texit, institutuendum curarunt: non tam ut eâ arte vitam toleraret: quâ ut res illi subjectas penitus cognoscere, probas merces à vitiosis secernere, sartas tectas conservare & tandem nego-

negotiationem illam pelliceam, ad quam à parentib. maturo consilio destinatus erat, sine minore periculo, & majore cum fructu exercere posset: quod qui faciunt, ad honores ac dignitates omni jure hodieq; adspirandi facultatem habent. Deductus in officinam *Roberus* tempore sibi præstituto in disciplinâ perstitit: & artem absq; omni molestiâ probè didicit: seu quod animo volenti nihil quidquam esset difficile: (Marti enim, ut est in proverbio, arma non sunt oneri) seu quod hominem ex celebri familiâ natum, & parentib. laudatis, procreatû nõ deceret fidem semel datam fallere: aut adjuncta & instrumenta illi vitæ generi, quod parentû jussu, propriæq; voluntatis ductu sectaturus erat, necessaria negligere. Enimverò familia, ex quâ natus, antiquissima & honestissima est: sive paternam spectemus lineâ *Roberiorum*, qui Gorlicii in superiore Lusatiâ, Thuringiâ, Silesiâ, Moraviâ, Poloniâ, Prussia, Norimbergæ & alibi floruerunt: & ob legationes sub Maximiliano II, inclÿtâ recordationis Imperatore rite obitas, & res benè gestas insignia gentilitia obtinuerunt: sive maternâ *Gerstmannorum* & *Rademmannorum*, qui Boleslaviæ, Preslæ, Lignitii, Bregæ in Silesiâ, & hic Francofurti in Marchiâ multis ab hinc annis vestigia non leniter ad exigui temporis prædicationem presserunt, sed ad memoriam sempiternam fixerunt: & dignitati generis ac nominis amplitudini nobilitatis insignibus jam pridem a summis Imperatoribus inaugurati sunt. Parentes autem & majores ipsi obtigerunt longè clarissimi. Pater erat *Dn. Elias Roberus J. U. D.* & in Academiâ quondam nostrâ primum Syndicus, mox Institutionum Imperialium Professor sollertissimus: cui in conjugio & professione non multò post successit *Dn. Matthias Polenius*, Collega noster honorandus:



1597  
30. 8.

Avus paternus *Dn. Joannes Roberus*, civis Reip. Gorlicensis primarius, & contributionum Imperialium in antefatâ Lusatia præfectus. *Mater Catharina Gerstmannia*, matrona honestissima, *Dn. D. Sebastiani Gerstmanni*, J.C. & Antecessoris quondam apud nos, & amplissimi ordinis Ordinarium celeberrimi, Sacræ Cæs. Maj. Serenissimi Electoris Brandenburgici, multorumq; Germaniæ Principum Consiliarium; cujus vel nomen ponere ad laudem satis est, ex *Catharina Radtmannia*, omnium muliebrium virtutum ornamentis conspicuâ fœminâ, vidua nunc mœstissimâ, Filia. Avunculos defuncti, consobrinos, cognatos, & adfines nec tempus patitur, nec operæ pretium est, ut omnes recenseamus: cum virtutes illorum & res præclarè gestæ ob oculos omnium versentur. Ad Eliam redeo, qui, cum patrens Anno Christi 1599 a. d. 5 Id. Sextilis epidemiâ dysenteria, magno bonorum omnium luctu, & reip. literariæ desiderio moriebatur, nondum bimulus erat puellus (natus quippe anno ultra decimum quintum seculum septimo & nonagesimo a. d. 3. Calend. Septembris: matris tamen viduæ, & paullò post Vitrici Clarissimi, quod ut rarum, ita præclarum, omniq; laude ac prædicatione dignum est, curâ in pietate ac bonis literis à primis annis cum domiâ pædagogis, tum in scholâ à præceptoribus rectè educatus est: donec postea adultior factus in officinam, ut dixi, deduceretur. Finitis disciplinæ annis, & arte, quam, ut malus Imperator non malè dixit, quævis alit terra, probè perceptâ, & provinciis ac regionibus aliquam multis negotiationis rectè instruendæ, & in noticiam bonorum virorum veniendi causâ peragratis, cum glisceret in animo ejus avitæ paternæq; virtutis cupiditas, ad veram gloriam & ipse grassari cœpit: non Artis quidem & literarum viâ: quam Parens olim ingressus erat: & frater ejus germanus

nus, *Dn. Sebastianus Roberus*, juvenis literatissimus & præstantissimus, exemplo Patris, Vitrici & Avimateri excitatus hodieq; magno conatu, pariq; ut speramus, successu pergit: sed Martis & armorum: quibus duabus rebus legitime hominē inclarescere, & de rep. bene mereri possedidicerat, Itaque superiore hyeme inter milites, quos Ordines Lusatia conscripserant, nomen professus est suum: & in militia disciplinam profectus: non tam rem inde facturus: quam pro aris & focis, pro templis ac mœnibus, pro salute ac libertate patriæ, quam liberi cum patre eandem, licet alio loco nati sint, habere censentur, ictus, vulnera, mortem denique, si res ferret, non excepturus tantum, verum etiam ultrò appetiturus. Sed non diuturna ejus fuit militia: ipseque opinione celerius missionem obtinuit: non ignominiosam illam, sed causariam. Ab eo n. statim tempore, quo conscriptus exercitus Budisina lustrabatur, gladium ipsi & arma è manibus extorsit febris putrida ardens: quâ indies magis magisq; augefcente, à numeris & signis, quibus inharere decreverat, invitus discessit: domum nempe revocatus mense Majo à Parentibus: qui de salute ejus solliciti Medicos consulendos, eorumq; operâ utendum esse putabant: certâ spe freti fore, ut valetudine recuperatâ militiam, quam professus erat, aliquandiu sectaretur, ex eaq; per gloriam perpetuò viveret. Sed pertinax illa & refractaria febris tantum abest, ut medicamentis cesserit: ut etiam in malignam tandem degenerarit: & in societatem assumptâ phthisi, quæ è falsâ pituitâ à capite ad pectus & pulmonem defluebat, symptomatibusq; gravioribus, pervigilio & sudore plurimo, & omnium virium imbecillitate stipata, ipsi tandem, Imperatorem cœlestem ex statione hac evocantem sine omni gemitu secuto, & ad *ἐὐφρασίαν* præparato, sacroq; viatico probè



8  
probè instructo, nudis quinctus horâ septimâ vespertinâ,  
post luminarium, in signo leonis, cōjunctionem, animam  
ex juvenili corpore extrusit. & pro vivo homine cadaver  
parentibus obrusit. Qui tametsi præmaturum filii sui oc-  
casum dolenter, hoc tamen placatus & moderatius ferūt:  
quod benignissimâ Dei voluntate illum hinc migrasse, &  
terrestrem militiam cœlesti triumpho permurasse sciunt:  
laturi adhuc levius, si in funus, quod hodiè ducturi sunt,  
frequentes, præstantissimi academiæ cives, procedatis. Id  
autem in gratiam Excellentiss. *Dn. Polenii*, & in hono-  
rem adolescentis ex laudatissimâ familiâ, majoribus &  
parentibus celeberrimis, [quorum illustria in rempubl:  
nostram exstant merita, nati, & in professione militiæ ac  
pro defensione patriæ & religionis denati, intuitu pie-  
ratis & humanitatis vos facturos esse cur confi-  
dam, multæ causæ sunt: cur diffidam, nullæ.

Venite ergò, & exsequias ite: opti-  
meq; vivite & valet.

M. C. N.



DE  
ANNULIS  
EORUMQUE  
JURE ET USU  
COLLECTANEA

EGGEBERTI SCHAUMI  
FRANCOFURTO-  
Marchici.

FRANCOFURTI  
AD ODERAM

TYPIS  
FRIDERICI HARTMANNI,  
Bibliopole

Cum licentia Inclytæ, quæ  
ibidem est, facultatis  
Juridicæ.  
ANNŌ M. DC. XX.

